



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CCXXVI. Differentia 11. Incendiariorum alia est pœna juris Canonici, alia
civilis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA II.

Incendiariorum alia est poena juris Canonici, alia civilis, c. Si quis domum, de injur. c. Cum devotissimam 12. q. 2. l. Data operâ, C. de his, qui accusare non possunt, Bartol. 78, Ioann. Bapt. à S. Blasio 112.

I. Incendarius proprie dicitur, qui auctoritate propria, incendit civitatem, domum, villam, segetem, &c. ex odio, aut vindicta, c. Pessimam 23. q. ult. c. Cum devotissimam 12. q. 2. Silv. v. Incendarius. Hisce poenæ constitutæ sunt non leves: an autem in hujus ævi usu sint, dubitare licet. In c. Si quis, quod ex poenitentiali sumptum est, legimus. Si quis domum, vel aream cujusquam incendit voluntariè, sublata, & incensa omnia restituat, & tres annos poenitet. *Gloss. in v. Restituat, in quadruplum infra annum, post annum in simplum l. 1. ff. de incend.* Sed si negligentia in simplum: si autem dolo fecerit, secundum leges concremabitur, l. Qui ades, ff. eod. alterius poenæ mentio habetur in c. Devotissimam, quod est s. Gregorii. Si quis manu armatâ usque ad quatuor homines in vicum alterius ad malefaciendum venerit, ille, qui prior est, pro illicita præsumptione componat solidos non-gentos; sequaces verò illius unusquisque solidos 20 si verò incendium fecerint ibidem, novies tantum componant; si prædam verò, in quadruplum restituant, l. 1. legum Longabard. tit. de aggressorib. in vic. fa. leg. 2.

II. Juris civilis mentem, & definitionem adhibitâ distinctione intelligemus. Incendium malitiosum vel extra, vel intra civitatem fit. Si intra civitatem, ubi majoris periculi metus est, incendarius vel capitis, vel ignis concrematione poenam luet secundum l. Cornel. l. Qui dolo, ff. ad l. Corn. De hac poena etiam loquitur lex ult. ff. de incend. ruina & naufrag. Item l. Capitalium, §. Qui ob inimicitias, ff. de poen. dum ait, incendiarium plerumque comburi. Altera igitur poena est, ut vivus comburatur, juxta prædi. l. qui ignem injiciendo testis periculum alius auxit. In judicis ergo positum arbitrio est, utrà consideratis circumstantiis uti poenâ velit. Ad decernendum juvabit populi vox, & illorum, quibus damnum illatum est, postulatio. V. Menoch. de arb. Cas. 390. Decianum l. 6. c. 24. n. 6. & l. 8. c. 5. & seq. Tholos. l. 11. de Rep. c. 21.

* *